



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema VI. Cur pauci Nobiles salventur? Dominica IV. Post Pentecosten.
Totâ nocte laborantes nihil cepimus. Luc. 5. v. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)

PROBLEMA VI.

Cur pauci Nobiles salventur?

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

Totâ nocte laborantes nihil cepimus.

LUC. 5. V. 5.

§. I.
Ex iisdem
causis pau-
ci Salvan-
tur nobi-
les, ex qui-
bus nulli
in præsen-
ti Evange-
lio capti
piscis.



Quod de captura pi-
scium dixere Apo-
stoli, hoc de salute
nobilium repetunt
Angeli: *totâ nocte
laborantes, nihil ce-
pimus.* piscantur tu-
telares genii, nec labori ulli parcent
ac industriæ, ut nobiles potissimum
animas in æternæ vitæ vivarium pi-
sces capiant, verum pœne omnis ir-
ritus cadit labor, tam paucos enim
in Evangeliiis salvatos invenio nobi-
les, ut vix excedant positos in Zo-
diaco pisces. Unicus certè Joseph
Arimathæus testimonium Evange-
listæ habet, quod cum esset nobilis,
ageret nihilominus Christi discipu-
lum, quamvis occultum, ob innat-
um omnibus pœne nobilibus vitium,
qui *humanus* vocatur *respectus*.
non multi nobiles, inquit ad Corin-
thios Apostolus, quasi de iis inter-
pretetur Doctor gentium illam in-
carnatæ Sapientiæ sententiam: *multi
vocati, pauci electi.* sed cur
tam pauci capiuntur salvanturque
nobiles? si bene expendo hodierni
circumstantias Evangelii, easdem
fermè causas deprehendo, cur tam
rarè in rete salutis veniant nobiles,
quæ ab Evangelista adnotatæ sunt,
cur *totâ nocte laborantes* ceperint
grande nihil. nimirum de nocte pi-
scabantur, totâ nocte laborantes, re-

ti angusto non laxo utebantur, unde
Petrus animadverso errore: *laxa-
bo* inquit *rete & quidem in verbo
tuo*, quod prius facere vel nescierat,
vel neglexerat. ideo plerique nobi-
les pereunt, quia noctem vertunt in
diem, diem in noctem, totâ nocte
laborantes, convivantes, ludentes,
potantes, saltantes, dies verò totos
dormiendo, otiando, nugando
comburunt & dilapidant. Si quan-
do eleemosyna pauperi, aut beni-
gna auris subdito, aut cor inspirati-
oni supernæ danda sunt, non laxant
marsupia, aures, corda, sed neque in
Verbo Domini laxant retia, sed tem-
poranei lucelli cupidine aut inanis
gloriæ ductu eleemosynas erogant,
preces persolvunt, causas subdito-
rum audiunt. Verum hiscè ego ho-
die causis fusiori dictione proferen-
dis non immorabor, sed geminas a-
lias in medium proferam, cur pi-
scatus nobilium minus secundè suc-
cedere soleat, quia videlicet JESUM
non habent præ oculis, non habent
in auribus. Videte & audite in
Verbo JESU, in quo rete dictionis
laxabo.

Triplicem invenio piscatio-
nem, quam Salvator noster aut de-
mandavit, aut gratiosâ suâ præsen-
tiâ cohonestavit. primam describit
Lucas hodierno in Evangelio, asse-
ritque conclusos fuisse, ut est in Sy-

§. 2.

Nobilium
Salvando-
rum pau-
citas ele-
gantî figu-
râ expri-
mitur.

D 3

riaco

riaco multos admodum pisces, ita ut disrumperetur rete eorum Luc. 5. v. 6. alteram enarrat Joannes c. 21. v. 10. numeratque centum quinquaginta tres magnos pisces, dexterrimè ad verbum Salvatoris captos; tertiam denique Matthæus c. 17. memorat, & unicum duntaxat pisciculum ex gurgite vasto extractum testatur, sed cui didrachma in ore fuit ad tributum exolvendum. In terna hac piscatura adumbratam videre videor divinæ prædestinationis seriem. Piscantur Apostolici operarii in plebe, & concludunt rationalium piscium multitudinem copiosam, *turbam videlicet magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Piscantur iidem in Civibus & literatis, sed quantumvis multos & magnos dexterè capiant, numerum tamen ter ternum non excedunt, numerantur enim centum quinquaginta tres, quia numerus centesimus quinquagesimus tertius ut explicat tract. 122. Augustinus ter habet quinquagenarium & insuper tria propter mysterium Trinitatis, quinquagenarius est jubilæus, in quo cunctus populus ab omni operatione quiescit, sive ut computat Divus Gregorius homil. 24. quia per numerum denarium & septenarium, decem scilicet præcepta, & septem Spiritus Sancti charismata salus æterna acquiritur, sicut per numerum decimum septimum ter multiplicatum numerus quinquagesimus primus evadit, per hunc verò ter multiplicatum numerus Evangelicus, centesimus quinquagesimus tertius apprehenditur, ut constet per invocationem Sanctissimæ Trinitatis corde, ore, & opere factam (id quod laureata eruditorum capita & urbana ingenia bono numero faciunt:) ad æternum jubilæum perveniri. at verò si in nobilibus fiat piscatio,

vix unicus extrahitur piscis, cui statim in ore & Symbolum est nobilis alicujus bene nummati, paratque juxta Divi Hieronymi interpretationem, ad exolvendum pro Jesu & Petro tributum, & ad implendam omnem, quæ Christo & Ecclesiæ debetur, justitiam.

Pauci in cælo nobiles, quia rari fuere in terra, qui Christi præsentia delectarentur, eundemque in oculis & auribus circumferrent. Oculatâ enim constat experientiâ, quàm rarò & serò ad quotidianum missæ sacrificium nobiles compareant, quàm rarò & serò ad excipiendum DEI Verbum congregentur, quàm rarò nomen Jesu invocent, suasque eidem devoteant actiones; præsentem habere Jesum nolunt, à cujus tamen præsentia omnis omnino eaque præsentissima in corpus animamque felicitas redundat, ut è sequentibus liquido patebit figuris.

Divus Synesius ducis Anyfii præconia enumerans, miram ubi vis felicitatem ad illius præsentiam extitisse testatur: *celeriter ubique locorum Anyfius est; vincit autem quocunque adfuerit.* Verius ista de felicissima Jesu præsentia asserentur, ubicunque enim ille est, non in cælis modò terrisque, sed apud ipsos adeò inferos, felicitas unâ ingreditur & victoria. Quatuor amplius annorum millibus captivi hærebant lymbicolæ, & principis tenebrarum regionem, mortis inquam palatium incolebant; cum ecce desideratissima tandem adest hora, quâ triumphatrix Christi anima in cor terræ penetravit, & mox evanescit captivitas, fugatur infelicitas, victoria exoritur & triumphus; qui enim sub potestate infernalis tyranni gemebant, victores evadunt nigrarum potestatum & lætum concinunt pœana. Et quamvis triduo ad-

Apoc. 7.
v. 9.

§. 3.
Prima causa, cur pauci salventur, quia JESUM non habent præ oculis, ex cujus præsentia omnes oriuntur felicitates; quod probatur figuris.

Figura I.
Patres in limbo re-creati.

adhuc intrâ eosdem terræ sinus & inferorum repagula perstent, nihilominus non in carcere amplius, sed in paradiso versantur, quia JESUM habent præsentem, quicum esse paradiso est juxtâ illam latroni converso factam pollicitationem: *hodie mecum eris in paradiso*. non reputâset se latro in paradiso versari, quantumvis ad Eliam & Enoch translatus fuisset, nisi præsentem habuisset JESUM, qui ipsos etiam inferos in paradisi delicias beatissimâ suâ præsentia transmutat. Expendit Sanctus Augustinus versum decimum septimum Psalmi sexagesimi septimi, & omne gaudium ex præsentia Salvatoris redundare ostendit: *mirificè cum dixisset: millia letantium, continuo subjecit: Dominus in illis: nè miremur quòd latentur, Dominus in illis*. Non sperent paradysum Domini nobiles, si Dominorum Dominum secum habere non curant.

Matthæi 8. recensentur duo energumeni de sepulcris egressi ad JESUM accurrisse: *Et cum venisset JESUS trans fretum in regionem Gerasænorum, occurrerunt ei duo habentes demonia de monumentis exeuntes*. ad sepulcra iniquus possessor miseros homunciones detruerat, ut cum mactare eosdem non permitteretur, mortificaret saltè & Mæzentii exerceret tyrannidem: *mortua componens corpora vivis*. Verùm ut regionem illam salutari suâ præsentia JESUS dignatus est, profluit ex sepulcris dæmoniâci, & ad Salvatoris pedes accurrunt. Quid hoc quòd maligni isti hospites, jurati JESU hostes, ad JESUM recurrant? quæ conventio lucis ad tenebras, vitæ ad mortem, salutis ad damnationem? quorum prius cum mortuis erat conversatio, jam auctori vitæ cohabitare delectat. nimirum signanter Evangelista po-

fuit: *habentes demonia*, non habebant amplius dæmonia hominem, sed ab homine habebantur, non jam amplius victores, sed victi erant dæmones, non jam amplius vindices, sed rei & vincti; hoc hominibus gratiosa JESU præstitit præsentia, dum seductos ex sepulchro ad salutem & libertatem iussit adesse. Conceptus iste Chryfologi est ferm. 16. ita ratiocinantis: *ad præsentiam Christi homines exeunt de monumentis, & versa vice capti vos ferunt, à quibus fuerant capti vati, sistunt pœnis, quorum cruciatibus torquebantur, aptant ad sententiam, à quibus additi fuerant sepulcris*. Cur plurimi nobiles in vitiorum, hoc est, dæmoniorum hærent sepulchris? quia pulcherrimam nobilissimâ JESU habere non curant præsentiam.

A sepulchro non ab eo dum Lazarum quatruiduanum accedo, omnemque ipsius miseriam ex JESU absentia ortam fuisse pronuntio: *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*. quomodo enim ad præsentiam Vitæ mors accedere potuisset? sed jam gratiofus aditas ò JESU hospes, sit denuò beneficio præsentia tuæ sospes Lazarus! jube illum ex tetro prodire carcere, & ad volabit ocyus. audit humiles preces JESUS, & Lazarum de nomine vocat: *Lazare veni foras*, apponendum, necessariò erat nomen, nè mortui unâ omnes prodiissent, si indiscriminatim vocati fuissent. ad præsentiam Christi homines prodeunt de monumentis. O si tuam quoque nobiles nostri ò suavissime JESU præsentiam admitterent, non tot supra quatruiduanum Lazarum foeterent.

Parùm à sepulchro aberat David, quando clamavit Ps. 30. *eripe me de manu inimicorum meorum, & a persecquentibus me*. at quibus modis protegi te amas ò David? num legiones

Luc. 23.
v. 43.

Figura II.
Energumeni duo
liberati.
Matth. 8.
v. 28.

Figura III.
Lazarus re-
sulcitatus.
Joann. 11.
v. 21.

Figura IV.
David ere-
ptus.
Ps. 30. v.
16. & 17.

giones Angelorum submittendæ? num ex aridis ossibus exercitus grandis suscitandus? num curru igneo in sublime tolli desideras? subjungit eliberationis modum optatissimum David: *illustra faciem tuam super seruum tuum*. te videam, tuâ præsentia fruar, in oculis tibi sim ò exercituum Domine, & salva sunt omnia; præsentissimâ gaudebo felicitate, si tuâ me digneris præsentia. ita Psaltis interpretatur verba Sanctus Athanasius in cat. græca: *postulo ut in presenti quoque ab hostibus eripiar. hic autem mihi solus salutis modus est, si mihi faciem ostenderit*. ad præsentiam Salvatoris non potest Salus abesse. *ubi enim bene erit sine illo* (Bernardum recito serm. 2. de Adventu) *aut ubi malè esse poterit cum illo?*

Figura V.
Joannes in
utero E-
mauntini
in Via Luc.
1. & 24.

Advertit JESU præsentiam Joannes materno adhuc clausus utero, & exsilire præ gaudio conatur quòd Domini præsentia se sentiat ditatum: *video enim Dominum*, ita Joannis nomine Divus Chrysostomus apud Metaphrastem, *qui imponit nature terminos, non expecto tempus*. Ingeniosè poëta apud Cornelium à lapide pag. 26. in Luc. de saltante canit, quòd morti suæ præluserit, quam saltando per ensen consummaturus erat. Ad JESU enim præsentiam mors non timeatur, imò appetitur, quia cum JESU vita adest: *Usque adeò tibi dulce mori est, ut luminis expers*

*Argumenta tuæ ludere cædis
ames.*

Luc. 24.
v. 29:

*Mane nobiscum Domine quoniam ad-
vesperascit* exclamant Emauntini duo discipuli, JESU præsentia recreati vespere non timent, noctem non horrent, dummodo JESU non careant, quo cum carere cœpisset Judas, in noctem incidit, unde acutè Joannes post enarratum Judæ è cœnaculo discessum subjungit:

erat autem nox; illi enim nox est, cui JESU deest, illi hora noctis insonat & potestas tenebrarum imperat, cui Sol justitiæ amplius non lucet, verbo, noctes totas frustra laborat, qui præsentia Salvatoris est destitutus, *quandoquidem in nocte spes mala* ait Nazianz. vicissim verò spes optima ex luce divinæ præsentia, ad quam marcidæ virtutes reflorescunt, terra sterilis revirescit, & ut Theocritus canit: *omnia tunc vernant, tunc omnia pascuæ florent*. Non exultant ad mortis memoriam cum Joanne nobiles, sed obrigescunt, non inardescunt cum Emauntinis in via salutis, sed congelascunt, non efflorescunt, sed marcent in paradiso Ecclesiæ. quid causæ? JESU præsentiam admittere nolunt.

Quid in absentia JESU & quid in præsentia JESU accidat descripsit filius Jesse sub Solis similitudine: *posuisti tenebras & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestie Silve, catuli leonum rugientes, ut rapiant & quærant à DEO escam sibi*. absente Sole insurgunt Silvarum bestia, absente JESU omnes calamitates ex Silva mundi & inferni in nos profiliunt; oriatur Sol, adfit JESU, & malæ bestia dispersentur. *ortus est Sol & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur*. ubi Christus illucescit, nulla subsistere potest infelicitas. pulchrè Cassiodorus Psaltis verba ad Dominicam Passionem transtulit: cum in passione Domini factæ fuissent tenebræ, demones ad escam sibi quærendam permittente Domino proruperunt, quia invenire poterant corda titubantium. tunc autem quando ortus est Sol, id est, Resurrectio Sancta declarata est, majestatem ejus minime sustinentes, in suis se trepidi cubilibus abdiderunt. hæc Cassiodorus, non timeremus calamitates, sed timeremur ab iisdem, si JESU præ-

Joann. 13.
v. 30.

Nazianfe-
nus orat
in S. Ba-
ptism.

§. 4.
Utilior est
JESU præ-
sentia
quàm so-
lis, de quo
Ps. 163. à
v. 20.

præsentia saltè ita delectaremur, quemadmodum hortos exortu solis delectari videmus. Delectarentur utinam nobiles ita Jesu præsentia, sicut suorum deliciis hortorum, o quantis affluerent deliciis!

Redivivum Salvatorem cum conspexisset Maria Magdalena, hortulanum esse censuit: *illa existimans, quia hortulanus esset* Joann. 20. v. 15. forsitan nec errando hæc mulier erravit (verba Magni Gregorii apud Baëzam tom. 1. lib. 5. c. 2. v. 16.) quæ Jesum hortulanum credit, an non ei spiritualiter hortulanus erat, qui in ejus pectore per amoris sui vim summa virtutum virentia plantabat? ubi Jesus, ibi viror spei, ibi hortus voluptatis, ibi portus felicitatis. Adducta erat ad Jesum mulier in adulterio deprehensa, contra quam legis Doctores severe, Jesus verò in terram se inclinans condemnationis an absolutionis? nescio, sententiam *digito scribebat in terra* Joann. 8. v. 6. cur agricolam aut hortulanum mavult agere, quàm judicem? cur digito terram excolit, dum vibrandum esset justitiæ fulmen? nimirum hortulanum Jesus amat agere, & ex sterili peccatorum solo cultissimos virtutum fructus educere. audio Augustinum serm. 37. de verb. Domini: *quid aliud vobis significat, Pharisei, cum digito scribebat in terram, digito enim DEi lex scripta est, sed propter duros in lapidem scripta est. nunc Dominus in terra scribebat, quia fructum requirebat.* ideo scribit in pulvere, ut ex pulvere herbam bonæ spei producat. floridissimè dixit Divus Maximus: *ubique ex resurrectione Christi (dixerim ex præsentia Christi) aer salubrior est, Sol candidior, terra fecundior, ex eo surculus virescit in fruticem, herba crescit in segetem, Vineæ pubescit in palmitem. Expergiscimini itaque &*

laudate qui habitatis in pulvere, quia ros lucis, ros tuus, in Hebræo: quia ros olerum viridantium ros tuus. Virent omnia & reflorent ad Jesu præsentiam magis, quàm ad matutinum rorem virescant olera, & viridibus coloribus flores vestiantur.

In floribus, ut ajunt, vixit prodigus, quamdiu patria perseveravit in domo, ubi primùm autem ex oculis amisit patrem, omnem unà amisit felicitatem. secundior secundo fuit primogenitus, qui quia ex oculis paternis discesserat nunquam, idcirco ignoravit, quid sit esse infelicem; *tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* ideo omnia patris bona communicantur filio, quia præsentem filius habet patrem. omnia habet bona & mala fugat, qui cum Jesu est. Idcirco pater pœnitenti prodigo dat anulum in manus, quia in anulo erat patris imago, ut præsentem posthac saltè in imagine patrem nunquam non haberet filius, eaque arte omnem fugaret dæmonum incursum: *ut meum circumferens sigillum* (verba sunt Divi Chrysostomi in persona patris ista loquentis homil. 4. de prodigo) *formidabilis omnibus hostibus adversariisque appareas.* Haberent utinam omnes nobiles hunc in digitis suis anulum, certè paternæ substantiæ, quam per Christum accepere, non forent prodigi, nec cum Patre cœlesti ullavis in fortuna malè contenti. sed jam hoc anulo primam dictionis partem signemus.

Satis de oculis, ad aures pariter veniamus, à quibus si divinum exulet verbum, nihil ampliùs in nobilium auribus pretiosum reperietur, nec spes salutis ulla affulgebit. Quam veritatem etsi fusiùs alibi à me demonstratam meminerim, committere tamen hoc loco non possum, quin Verbi divini pretium auribus animisque trutinandum

E

de

§. 5.
Hortulanum agit
Jesús, ut
floridè nos
recreet.

D. Maximus hom.
2. in pent.

Mai. 26.

§. 6.
Figura VI.
Fratres
parabolici.

Luc. 15.
v. 31.

§. 7.
Pretium
Verbi Dei
tantum
est, ut i pfi
Christo æ-
quiparetur.

denuò appendam. Verbum divinum quod David *super aurum & topazium* dilexit, filius Davidis Iesus *SANCTUM* & *Gemmas* appellavit: *nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos* Matth. 7. v. 6. sicut ipsemet Christus *SANCTUM* ab Angelo vocatur: *quod nascetur ex te SANCTUM vocabitur*, & ipse etiam margarita pretiosa appellatur, ita & verbum suum, hoc *Sancti* & *Margaritæ* nomine dignatur. sicut autem per *Sanctum*, ad *Sanctum* *Sanctorum* nec aliâ viâ accessus patebat, ita per divinum Verbum ad regnum cœlorum, templum illud non manufactum æternæ felicitatis pervenitur. *beati qui audiunt.* & cur quæso regnum cœlorum margaritæ assimilatur, nisi quod per Verbum divinum tanquam salutis æternæ pignus thesauros immortales mereamur.

§. 8.
Margaritæ
Reginæ
erga Con-
cionato-
rem reve-
rentia.

Margaritæ dum memini, Christianissima illa in mentem venit Margarita Ludovici XI. Coniux, quæ Alanum super scamno dormientem accessit, & ori basium dedit, mirantibusque cur homini tam deformi id honoris præstaret, reposuit: non Alanum, sed os DEi veneror, per quod tot gemmas, tot aurea flumina emittit Altissimus, agnovit Margarita Verbum Dei pretiosissimam esse margaritam, nec appetiari satis eos posse, per quorum ora in aures nostras DEus in aures suas transmittit & dispensat. *Qui enim verbum DEi libenter audit, in aures animæ de patria paradisi transmissas se suscepisse non dubitet.* Sanctus Augustinus homil. 27. ex 50. in auris Cleopatæ ducentis quinquaginta aureorum millibus æstimabatur, de qua ingeniosè Poëta:
- - - *regna integra molli*
Aure gerit mulier, major Atlante
vir est.

At nec uniones Cleopatæ, nec omnes orbis utriusque gemmæ in ponderationem cum Verbi divini pretio venire possunt. Genes. 24. donavit Eliezer Rebeccæ in aures aureas duorum siclorum. *in auribus aureis significantur verba divina* ait Sanctus Augustinus, & explicat fuse serm. 75. de temp. *quomodo Rebecca in aures habere non potuit, nec anulos, nisi Isaac transmitteret per servum suum, ita Ecclesia nec verba divina in auribus, nec opera Sancta habere potuisset in manibus, nisi hæc illi Christus per suos Apostolos contulisset.* at pretiosiores multò in aures sunt, quas supremus cœlorum Rex, & animarum nostrarum sponsum per servos suos Eliezeres (quæ vox *DEi adiutorium* significat, adiutores enim Dei sunt prædicatores) ad nos transmittit.

Pretium Verbi divini probat Sanctus Paschasius ex illo Matth. 26. v. 15. *constituerunt ei triginta argenteos*, tot argenteis emitur, quot annis peregrinatus est in mundo, at verò pro ultimis tribus annis nulum pretium appendi potuit, omne enim pretium excedit teste sapientissimo Regum: *& divitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.*

Ut appretiare nos Verbum Dei doceret dilectus discipulus, verba hæc mysterio grava in capite Evangelii posuit: *Verbum erat apud DEum*, cur potius apud DEUM, quam in Deo Verbum fuisse Joannes dixit? respondent Divi Hilarius, Chrysostomus, Rupertus: ut hac loquendi formulâ significaret Verbum in magno honore & summa dignitate ac dilectione maxima apud DEum esse, erubescerentque homines,

§. 9.
Pretium
Verbi di-
vini qua-
tuor aliis
concepti-
bus eluci-
datur.

Sap. 7.
& 8.

Joan. 1. v. 1.

mines, dum Verbum parvi pendunt, quod apud Deum tanto erat eritque in pretio. Certè si Rex Tartarorum verba sua à Duce Moscovitarum non nisi de genu excipi voluit, si Rex Sinarum literas suas ad Regem Japoniæ anno 1590. in quadrijuga lectica aurea misit, & Japones velut Regem ipsum, epistolam ejus accepere, quâ reverentiâ deceret nobiles nostros, nisi barbaris barbariores sint, Verbum DEi excipere, quod viva quædam supremæ Majestatis est epistola è cœlis in terras submissa, juxtâ id Magni Gregorii: *quid est Scriptura sacra nisi quædam epistola omnipotentis DEi ad creaturam suam.* Verùm hæc epistola à plerisque minùs cùm fiat, nè minimo vicissim loco nobiles apud DEum sunt.

Pretium divini Verbi exaggerans Sanctus Augustinus homil. 26. ex 50. hanc ponit quæstionem: *quid vobis videtur fratres, majus corpus Christi, quam Verbum DEi?* respondebunt plerique nobiles, longè majoris pretii minutissimam consecratæ hostiæ particulam videri, quàm decem millia concionum. Contrarium docet Augustinus: *non est majus corpus Christi, quam Verbum DEi.* hinc deducit: *unde non minùs reus erit, qui Verbum Dei negligenter audierit, quàm ille, qui corpus Christi in terram cadere negligentia sua permiserit.* non retractavit hanc suam doctrinam Sanctus Augustinus, non reprobavit Ecclesia, quin imò canonizare illam visa est, cùm in canonicum jus retulit, & in decretorum librum imposuit *Causa x. q. 1. cap. interrogo.* ubi glossa subjungit: *Verbum Christi, id est, predicatio, quæ plures convertit & plus facit, compungit hominem ita, ut omnia peccata per eam tollantur, sed per corpus CHRISTI tantum venialia tolluntur.*

Matth. 5. v. 2. de concionante Christo dicitur: *aperiens os suum docebat eos.* non sunt hæc superflua, quòd os aperuerit; causam dat Sanctus Bernardus serm. 1. de beat. *aperitur thesaurus desiderabilis, refertur gazophylacium regni cœlestis, fons omnium bonorum panditur, indigentes ditantur,* thesauros suos aperit, cùm os aperit, se in cor nostrum immittit, cùm verba sua in aures nostras submittit. ideo Filius vocatur Verbum, quia dum in corde nostro recipitur exhortationis sermo, generatur quodammodo in nobis DEi Filius: per Verbum ad nos venit is, qui Verbum est, accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum, accedit verbum in cor humanum, & fit cor divinum. De Abrahamo loquens Chrysostramus homil. 2. super verba Isaïæ, quòd nomen ei dilatatum sit interjectâ literâ *ba*, ut ex Abram fieret Abraham, & cum incremento nominis honor quoque crederet Nominati, sic inquit: *unicum elementum adjectum tantum principatum vendicavit iusto.* Admirare efficaciam Verbi divini! si enim una Syllaba potuit regnum conferre, quid non faciet integra constructio? Deplo- rat Adamus Ambrosius, quòd verbum divinum non observârit; consolationem tamen ex eo capit, quòd vocantem DEum: *ubies?* patienter audierit, subjungitque gnomulam hanc auream: *adhuc iis remedium sanitatis est, qui audiunt verbum DEi.* si non audiunt, desperatum propè est de salute, conclamatum de damnatione.

Matth. 4. v. 4. ait Christus: *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore DEi.* ex quo sic infert. S. Bernardinus p. 2. Sermon. 9. sequitur, quòd qui non vult Verbo DEi, ille non vivit, quia sicut Corpus humanum non vi-

§. 10.
Mortuo
deterior
est, qui
Verbum
DEi non
audit.

vit sine terreno cibo, ita Anima vivere non potest sine Verbo divino. plusquam mortuus est, qui non audit verba divina; nam: *mortui audiunt vocem Filii DEI* Joan. 5. v. 25.

S. II.
Ignobiles
sunt, qui
Verbum
DEI non
appretiant

Act. 17. v. II. cum Paulus & Silas in Bœotiam venissent: *nobiliores susceperunt Verbum cum omni aviditate.* Hi solum nobiles qui æstiment & acceptant Verbum DEI, hinc Christus auditores suos nobilitans: *non jam, inquit, dicam vos servos, quia omnia quæ audi vi à Patre meo, nota feci vobis* Joan. 15. v. 15, auditio verbi divini facit nos amicos, reliqua opera (ut Doctissimus Sylveira docuit) servos; ita ut post alia opera dicere debeamus: *servi inutiles sumus, audito verò DEI verbo gratiosum illud audiamus: jam non dicam vos servos.*

Sed jam arena horaria monet, ut laxatum dictionis rete ad littoris arenas contrahamus. Habetis ò Nobiles causas de ducentis duas, ecurr non jam rara avis sed rarus piscis in cœlo sit Nobilis qui salvetur. JESUM præ oculis habete, & salutem habebitis in manibus. JESUM habete in auribus, nè à piscibus

illis qui D. Antonium Paduanum, & Josephum Anchieta audituri convenerant, arguamini & cum malis illis piscibus, de quibus Salvator noster dixit: *malos autem foras miserunt* Matth. 13. v. 48. in lacum sulphureum mittamini; verbo: *avidissimè DEI verbum excipite ò Nobiles, ut nobiliores sitis, iisque similiores, de quibus ex Apostolicis Actibus dixi: Nobiliores susceperunt Verbum DEI cum omni aviditate.*

Pro Coronide finge Phœnicem in cœlos evolantem, cui lemma: *Rara Avis in cœlis.* finge cœlestem Geniolum inter melopepones discernentem: *sunt mille reprobandi, ut unus approbetur;* alium, qui inter centum Uniones vix unum tandem candore & lævore præstantem reperit: *singulariter unus:* alium ex Gange hamos plurimos sed vacuos extrahentem, quibus ipsemet inscribit: *non capio, quia non capior.* Caperentur plures nobiles ad salutem & vitam, si verbum divinum velut escam in hamo amarent & caperent.

hoc capite ò Nobiles
& sapite.

S. II.
Emblema.



PRO-